Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

coeunt unitate. ut duo ista uix intercedente iudice ratione discerni ualeant. species uidelicet corporis que uidetur et imago eius que fit in sensu id est uisio. Voluntas autem tantam habet uim copulandi hec duo ut et sensum formandum admoueat ei rei que cernitur et in ea formatum teneat. Et si tam uiolenta est ut possit uocari amor aut cupiditas aut libido. etiam ceterum corpus animantis uehementer afficit. et ubi non resistit pigrior duriorque materies in similem speciem coloremque commutat. Licet uidere corpusculum cameleontis ad colores quos uidet facillima conuersione uariari. Aliorum autem animalium quia non est ad conuersionem facilis corpulentia. fetus plerumque produnt libidines matrum quid cum magna delectatione conspexerint. Quanto enim teneriora atque ut ita dixerim formabiliora sunt primordia seminum. tanto efficaciter et capaciter secuntur intentionem materne anime. et que in ea facta est fantasia per corpus quod cupide aspexit. Sunt exempla que copiose commemorari possint. sed unum sufficit de fidelissimis libris quod fecit iacob ut oves et capre uarii coloribus parerent. subponendo eis uariata uirgulta in canalibus aquarum quas potantes intuerentur eo tempore quo conceperant.

Sed anima rationalis deformiter uiuit cum secundum trinitatem exterioris hominis uiuit. id est cum ad ea que forinsecus sensum corporis formant non laudabilem uoluntatem que hec ad utile aliquid referat. sed turpem cupiditatem qua his inheresc at accommodat. Quia etiam detracta specie corporis que corporaliter sentiebatur remanet in memoria similitudo eius quo rursus uoluntas conuertat aciem ut inde formetur intrinsecus sicut ex corpore obiecto sensibili sensus extrinsecus formabatur. De memoria que uisorum imago retinet. et intentione animi que utrumque conuertat.

Atque ita fit illa trinitas ex memoria et interna uisione et que utrumque copulat uoluntate. Que tria cum in unum coguntur ab ipso coactu